

## Summa Concionum.

10. Quid ergo, in tanta miseria faciemus. Considera id quod sequitur in nostro text. *O uli mei erant aperti, & aures mea erecte ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. Locus ille templum erat Salomonis, quod figura extitit B. Virg. Mariæ, quæ templum Salomonis dicitur. Ad illam ergo confugiendam est ut à tam crudeli morbo munimen ac tutamen habeamus. Eccles. 24. num. 7. dicitur. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. Quid est in columna nubis, ibi Cardin. Hugo. Hæc est columna nubis, quæ præcessit, & protegit filios Israël per desertum ita stabilis, ut nec ab ipsi peccatoribus recesserit, sic B. Virgo, multos in peccato protegit. Ipsa enim est advocata peccatorum. Item columna illa nobilis, statione sua loca castrorum monstrabat; sicut B. Virgo, ubi locus est apertus quietis exercitus Christiani, ubi scilicet, non sunt leones, neque serpentes, neque vermes venenosi, sed fontes, & præra, & arbores. Maria veluti illa columna antiqua Israël, nos tuetur, & protegit, & ostendit loca, quæ veluti sunt apta, ut in illis in nosemur, & ostendit etiam loca illa, quæ veneno sunt plena, ut ab illis fugiamus. Vide cap. 4. q. 3. n. 37. & seq. & c. 11. q. 34. n. 27. & 28.*

11. Sic factum est in illa magna, ac universali peste Orientali, quæ contigit anno Christi 594. qui fuit 18. Justiniani Imperatoris, de qua scribit Procopius lib. 2. de Bello Persico, & ex eo Baronius citand. Tribus igitur mensibus, ait, hujusmodi lues Constantinopoli prævaluit, & ab initio quidem pauci, deinde in singulos dies, quinque sapienter etiam decem millia offerebantur, adeo ut plures etiam divites ministris jam omnibus extinctis, caratorum penuria magis, quam morbo perirent. Unicum remedium extitit imploratum Virgin. Mariæ auxilium, quo lues est extincta, unde in memoria tanti beneficii, Græci instituerunt festam, quod dicitur *oculus Domini*, quod nos appellamus *festam Purificationis B. Virgin.* Mariæ 2. die Februarii, de quo Baron. in Martyrol. in suis Annalibus anno Christi 544. in fine.

## CONCIO XI.

Pro Bello, seu advenientibus hostibus.

T H E M A.

**N**E tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt, ne videant ad ruinam nostram, sed converte consilium eorum super eos, & eum qui in nos cepit servire disperde. *Memento Domine, & ostende te nobis in die tribulationis nostræ. Esther. 14. num. 11.*

1. *Ne tradas sceptrum tuum, qui non sunt. Sui inimici vocari poterant ab Esther impii, crudelēs, tyranni, scelesti; sed tunc minori sanè probro afficerentur, quàm cum vocantur qui non sunt. Nimirum, quia non sunt id, quod videri volunt, & se jactant esse. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, &c. Tunc vadit, & assumit septem aëros spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi. Luc. 11. n. 24. Expende nequiores*

*f. Tales dicuntur spiritus illi, qui dicuntur afferri ab immundo spiritu: & quinam spiritus potest esse nequior spiritu immunditie, & obsecratis? Ille sine dubio est prior, qui immundus cum se præcedit speciem munditie, puritatis, ac integritatis, quam minime in se habet. D. Prosper. de Promiss. & Prædict. part. 2. c. 39. Spiritus malus, ait, est spiritus superbia nequior illo, simulatio humilitatis spiritus malus, spiritus invidia, nequior illo, simulatio charitatis. Spiritus malus, spiritus mendacii, nequior illo, simulatio veritatis. Ecce quod homo dicitur superbus, invidus, & mendax, non id est pejus; illud autem, quod cum revera sit in vitiis, nullam habens virtutem; nihilominus in loeis factis veritatem, integritatem, ac modestiam in bello, ac malo inferendo vult reparari.*

2. *Ille nequissimus spiritus, cum insurgeret contra Deum cogitabat. Isai. 14. n. 14. Similius ero altissimo. In somma perveritate similitudinem operabat publicare cum summa Dei rectitudine, ac sanctitate. Rupertus lib. 8. in Apocalyp. sic ait. O veterosum patrem mendacii, quomodo in eo, quod maxime mendax ait, veracem se vult gloriari: Quid similitudine distimilius? Altissimus de ore suo veritatem, verum & bonum verbum genuit: hic autem qui dixerat similitudo ero altissimo, mendacium de corde suo genuit.*

3. *Ne rideant ad ruinam nostram. Hoc cavebat Esther, ut maxime suis, & sibi acerbam; non enim tantum timet ruinam suam, quàm quod hæc à videntibus, & gaudentibus veniat, ut solet fieri à militibus devastantibus aliorum agros, & bona. Et maxime exercebatur injuria ab inferentium læticia. Ultimam calamitatem Jerusalem deplorans Jerem. ait Thren. 2. n. 15. Planxerunt super me mambus, omnes transeuntes per viam, sibilaverunt & moverunt caput suum super filiam Jerusalem. Hæc dicitur urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium unversa terra: aperuerunt super te os suum omnes inimici tui. Inter omnes calamitates, hæc est extrema, cum ruinam tuam non planctus, non miseratio, sed plausus, & risus, ac jocus inferentium comiteatur. Rupertus lib. 1. in Jerem. cap. 50. Hæcine est, inquam; o quanta mutatio rerum! Urbs perfecti decoris, unversa terra gaudium; cui de unversa terra convehatur aurum, hæcine illa est? Hæc dicentes manibus plausuerunt, ore sibilaverunt caput suum super te moverunt. Valde acerbum quod cum gaudio vobis devastatio fit.*

4. *Converte consilium eorum super eos. Id quod valde usitatum est postulat Esther, ut malum, quod adversarii in nos cogitant, in ipsos retorqueatur. Loquens Exod. 7. nom. 20. de Moysæ ait: Elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in sanguinem, & pisces qui erant in flumine mortui sunt computrueruntque siccus, &c. Unde tantum malum in Egyptios venit: ut eorum fontes sanguine manarent & putrescerent aquæ, & pisces. Ipsi sic opprimebant Judæos operibus duris eos æstligentes, & sanguinolentis flagellis verberantes, adeo ut miserorum vulnera, non curata putrescerent; non mirum, quod Egyptii in suis rebus inveniant*

## Summa Concionum.

veniant malum, quod aliis inferebant. Sanct. Macarius Philadelp. Orat. de Cruce apud Greiserum tom. 2. *Postquam vibices Judæorum computruerunt, aquam fuit, ut siccus, & terra, Egyptiorum computresceret, & gravem halitum spiraret. Ait Isaias 3. n. 9. Væ anima eorum, quoniam redacta sunt eis mala. Quæ verba sic legunt Septuaginta. Væ anima eorum, quoniam consuleverunt consilium malum contra se fructus operum suorum comedent. Expende illud consilium malum contra se. Cum contra justitiam agere cogitarent adversus innocentem, potius non in illum sed contra te mala parabant. D. Basil. ibi. Consilia enim adversus justos iniit, in capita maligne consulantium retorquentur: quemadmodum & tela, quæ sensu incidunt in corpus solidum, nec cedens, sed repercussivum, in suos jaculatores resiliunt.*

5. *Memento Domine, & ostende te nobis in die tribulationis. Ubi enim tribulatio est, iam ibi proximum est dei favor; dicebat dominus. Isai. 40. n. 1. Consolamini, consolamini popule meus, dicit Dominus vester, loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam, quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia. Septuaginta legunt. Quia completa est humilitas ejus, & solum est ejus peccatum. D. Ambros. Quia repleta est dejectione ejus, & solum est peccatum illius. Illud verò, quoniam completa est malitia ejus, explicat communis vox interpretum. Completa est illius angustia, afflictio, ac tribulatio. Ex quo patet, quantam connexionem habet afflictio, angustia, tribulatio cum dei gratia, ac benignitate. Cum completa fuit angustia, humilitatio, & afflictio cum maxima omnium oppressione, statim adfuit dei gratia, excludens peccatum, largiens magna, ac multiplicata dona. Suscepit de manu Domini duplicia. D. Ambr. in Pl. 128. orat. 19. sic ait. Quam cito dixit, plenitudinem dejectionis, solutionem esse peccati: & reperit causam consolationis: eo majus esse reconciliatio-nis insignie, quo numerosior fuerit peccata, quam culpa. Vid. c. 1. q. 15. n. 40. 41. & 42. & cap. 3. quæst. 25. n. 201.*

6. *Memento Domine, & ostende te nobis hodie in die tribulationis. Pro tribulationis odio, ac infidiis inimicorum, una Esther est, quæ deprecator, & etiam in hoc figurabat Virg. Mariam, quæ tempore belli, pro suis deprecatur, ut eos custodiat, ac tueatur, ubera enim ejus, quibus & Jesum aloit, facta sunt nobis turres ad turamen ac defensionem Cant. 8. n. 10. ait ipsa. Ego murus & ubera mea turris. Ex quo ipsa ubera quæ lac præbuerunt Jesu nobis magnum munimen exhibent si ad illa confugimus. Si enim inter ipsa ubera moramur, nil nobis ab hostibus timendum, utpote constituti in munitissima arce, Guillelmus Abbas apud delrium. Ubera mea, ait, non tantum sunt ubera, sed etiam turris, non tantum nutriendi, sed etiam protegendi vim habent; nullus me potest habere quo nutriam, & non habere, quo nutriam. Materna pietas mea quos nutrit, etiam nutrit. Ex quo ait Helychius Jerosolymitan. serm. 2. de Maria. Vides & qualis est Desipaxa Virginitatis Maria dignitas, unigenitas*

*enim Dei filius, mundi conditor, veluti infans gestabatur ab ea, Adamum reformabat, Evam sanctificabat, excluderat Draconem, & paradysum aperiebat.*

7. *Ait dominus sanctissimæ Virgin. Mariæ, Equitatus meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea. Cantic. 1. num. 9. Habuit Deus omnipotens pro custodia corporis sui mystici, seu Ecclesie equitatum validissimum quem opposuit equitatum Pharaonis, quo & ipsos Pharaonis currus contrivit. Et qui equitatus dei fuit iste adversus Pharaonem? Si optime rem expendas, unam solum invenies virgam in manu Moysis. Hæc omnem ruinam Pharaoni intulit. Et non mirum; quia videbatur figurare virgam illam Jesse Mariam, quæ omnes adversarios dissipat, & destruit: de qua Mariana virga sic ait Rupertus. Magnum spectaculum respicienti, inde currus Dei, hinc equitatus Dei. Currus Pharaonis valde multus, ferro armatus; auro, vel argento insignitus: Equitatus Dei, virga una fuit, virga Moysis & Aaron: illi signo, equitatus meo assimilavi te amica mea: sicut enim virga illa virgam maledictorum devoravit, & omnem superbiam Egyptiorum obrivit, & deinde germinavit, fronduit, floruit, & fructum protulit, non succo terra animata, sed virtute celesti: sic anima mea cum etiam pravitatem hereticam contrivit, superbiam diaboli deiecit conceptu florida, parvi fructifera. Felix homo, qui sub hac vigilantis virga vivit, felices reges, qui hunc equitatum pro sui custodia, ac defensione adversus hostes habent.*

## CONCIO XII.

Pro exercitu exeunte in bellum.

T H E M A.

**E**Xiit vincem, ut vinceret. Apocal. 6. num. 2. Pro qua re, & maxime ad intentum. Vide in hoc libro cap. 6. q. 6. per totam.

1. *Exiit jam in bellum nostræ militiæ Praefectus, nostrique duces, ac milites & ut deo fidimus, vincens ut vincat, quod ut fiat, obarmatus est exercitus, non tam militaribus instrumentis, quàm potius Dei legum custodia, ac observantia.*

2. *Postquam Josue expugnavit ac sub ditione sua redegit civitates Jericho, & Hai: adversus ipsum congregati sunt sex Reges Chananzorum. Josue 9. n. 1. quod cum ipse Josue agnovisset, congregat populum. Et post hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta, quæ scripta erant in legis volumine. Josue 8. n. 34. Rex valde expensione digna. Ad civitates tuendas populum congregat, ad audienda verba legis dei. Cur potius turres non ædificat? Cur muros, & antemuralia non extruit? Cur gladios, lanceas, nec arma non distribuit? Sed tantum Deuteronomium, seu librum legis mandat legere. Dicitur Athanasius ad Marcellin. de Palm. David. Pro armis Deuteronomium recitans in omnium aures, legisque verba, in memoriam revocans, ut quod populum obarmans, hostes superat. Magnus dux arma & instrumenta bellica non congregat, sed tantum suos intendit instruere in Dei*

## Summa Concionum.

- Del lege, ac observatione, ejus mandatorum.
1. *Propheta Deuteronomium recitans.* Sciebat bellorum princeps, quod talibus armis fortissimè hostes devincuntur ac prosternuntur. Decantat Regius Vates Psal. 44. num. 3. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* D. Hieron. legit fortissime. Hocque cum multo robore, ac generositate. Et statim s' bdit. *Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere, procede, & regna.* Illud. *Intende.* Explicat D. Chrysof. Eusebius, D. Athanasius, D. Cyrill. Beda, & alii; & etiam legit ex Hebraeo Lotinus. *Age, equita decore tuo.* Hoc est tua elegantia, ac pulchritudine pugna, & regna. Hoc tamen non videtur coherere cum antecedentibus, in quibus dicitur. *Accingere gladio tuo super femur tuum.* Consequentibus videbatur dicendum, hoc tuo gladio intende, exi ad bellum, hoc tamen, non subditur, sed *specie tua, & pulchritudine tua intende, &c.* Exi, procede ad bellum. Quoniam est hæc species, & pulchritudo, qua exiit ad bellum. D. Laurent. Novar. homil. de elemosyna. Sic explicat. *Specie, & pulchritudine probitatis anima tua intende prospere, procede.* Et tunc. *Accingere gladio tuo super femur tuum.* Et si adsit gladius, tamen ad bellum procedendum, ac exeundum, specie ac pulchritudine animæ utere, ut Deo serviens hostem valeas devincere.
  4. *Exiit vincens.* Armatus iustitia, ac veritate, pro qua pugnatur. Urbem Sichmitam Simeon & Levi ferro aggrediuntur, & tunc habitatores illius internecione confecti sunt. *Et depopulati sunt urbem in ultionem stupri.* Genes. 4. n. 26. Miror sanè necari cives integræ urbis, à viris paucioribus? Pro Simeone, & Levi pugnabat ratio honestæ vindictæ, pro injuria & crimine illato in sororem, & gladius iustitiæ evaginatus, acutus & elimatus ad internecionem adversariorum, valde potens est, inde Sichmites sua nequitia, ac prævaricatione victus est. Vox est Salvian. l. b. de Provid. *Ut cognoscamus, ait, meritum hoc fuisse, non virium.*
  5. Nemo nescit Jerichontem solo adæquatam, civibus misere interfectis & ad ultimam eladem urbis involvisse clangores tubarum, ut patet. Josue 6. n. 20. *Omni, inquit, populo vociferante, & clangentibus tubis muri corruerunt.* Res notatu dignissima ad clangorem tubarum muri corruerunt. Vox illa clangentium tubarum, vox erat divinæ iustitiæ insonantis, quæ maximè terrificabat hostes, & muros prosternebat, quia minimè defendi, ac tueri poterant ab hominibus, in quibus licentia peccandi vigeat. D. August. serm. in Job, sic ait: *Quando muros illos nemo contingeret, expugnabamur tamen, forissecus sono iustorum, intrinsecus habitaculo peccatorum.*
  6. *Exiit vincens, ut vinceret.* Erat Dux armatus, & animatus spe ac fiducia sua in Deum, ita tamen ut suam ingenii industriam, ac laboris operam in re militari impendat, sic enim spes nostra reponenda est in sacra anchora, ut opera nostra non excludamus ab ipso militari negotio.
  7. Cum Josue vellet ingressum facere in terram promissionis ad eam occupandam, ait ei Dominus Josue 1. n. 9. *Confortare, & esto robustus:* noli metueri, & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus, in omnibus ad quacumque perrexeris. Si bene advertas ter in text. in hoc loco princeps militiæ confortatur à Deo, & tamen antequam ipse ingrediatur terram promissionem misit exploratores, cap. 2. n. 1. Et ait Text. *Misit Josue duos viros exploratores in abscondito & dixit eis, & considerate terram, urbemque Jericho.* Obiter nota illud in abscondito. Quia militiæ negotium debet fieri in secreto, & abscondito. Tamen in rem nostram, videtur inepta talis cura terræ explorandæ, cum princeps de magni Dei auxilio sit certus. *Tecum est Dominus Deus tuus.* At verò ille ut optimus militiæ dux, suam curam impendit, & quod sui officii est præstat strenuè. Sciebat enim, quod sic suam Deus promittit operam, ut tuam non excludas operam. Rupertus Abbas. lib. 1. in Josue. cap. 10. *Non ergo, ait, quisquam ullo in negotio, tam de celestibus præsumat præsidium, ut non etiam ipse sibi prior adsit vigilando facultate ingenii & laborando proportionem virili.*
  8. Ter Israëlita ex Dei mandato exierunt in bellum contra filios Benjamin, & cum semper Israëlita consulerent Dominum, qui dixit eis Jud. 20. num. 23. *Ascendite, & inite certamen.* Tamen in duabus primis vicibus Israël cæsus est, & Benjamin victor exiit. In tertia verò vice fors belli mutata est, Israël gloriosè victor efficitur, & Benjamin pere interfectus. In hac tertia vice illud maximè considerandum, quod cum Israël consuleret, Dominum de bello incundo. Respondit Dominus. *Ascendite, cras enim tradam eos in manu vestra,* num. 28. Et tamen immediate subdit Text. *Posue utique filii Israël insidias per circuitum urbis Gaba, & exercitum produxerunt.* Ad quid tamen huiusmodi insidias machinantur, cum ex Dei promissione adsit certa spes victoriæ? Videtur, quod quando Deus revelat victoriam de cælo, non patitur, ut in re militari sit incuria; sed maxima, & diligens sollicitudo, & ideo forsitan Israël in duabus primis vicibus victus est, in tertia vero gloriosè victor, cum responsum semper fuisse à Domino. *Ascendite in bellum.* Quia tamen tertia vice suam industriam cum insidiis posuit, non verò in duabus primis: quia sic Deus disponit dare victoriam, ut nostram sollicitudinem requirat.
  9. *Exiit vincens, ut vinceret* prompta, & expedita celeritate, quæ propria & maximè auspiciata est optimis ducibus; quibus maximè officit cunctatio Theodosium Imperatorem adversus hostes fustinantem, dum extollit Latinus Pacatus in ejus Paneg. ait. *Regis profecto germana illa pello, um. poetarumque commenta victoriam sinxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium, non cursus est, sed volatus.* Expende ultimum verbum *fortuna euntium non cursus est, sed volatus.* Fortunati effectus maximè respondent sapienti, ac providæ celeritati. Victoria enim pennata est, & nisi citò teneatur; evolat.
  10. Magnus Imperator Jesus, ubi in arenam profiliit adversus tenebrarum potestates. *Cæpi pavere, & cadere.* Mar. 24. n. 33. Et quid pavet bonus Dux in tanto duello? Non pavet hostium vires, aut arma? Inter tot mala imminencia,

## Summa Concionum.

- minencia, victoriæ cunctatione per aliquas horas agebatur nobilis imperator, moraque victoriæ illi angoris causa erat. D. Ambros. lib. 7. ad cap. 12. D. Luc. *Cum in se, ait, nihil habuerit, quod doleret, nostris tamen agebatur arumnis, & sub tempore mortis mæstitiam præterdebat, quam non ex metu mortis suæ, sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat.*
11. *Exiit vincens, ut vinceret.* Occurrens adversariorum exercitui, ut præcipit magnus ille gubernator Moyses Generali duci exercitus Josue. *Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalech.* Exod. 17. n. 9. Ubi bene ait Lyran. *Non enim voluit, quod expectaretur exercitus Amalech, ne pueri, & mulieres nimis timidi tererentur, & fagerent, & sic daretur major audacia adversariis.* Sic enim tam utile est hostibus obviam occurrere.
  12. *Exiit vincens ut vinceret.* Fretus communi omnium supplicatione; cum instat bellum ad orationis arma occurrendum, ait Christus Dominus suis discipulis. *Audite estis prælia, & opinionet præliorum, & conjurget gens in gentem, & regnum in regnum.* Matth. 24. n. 6. Et statim subdit. *Orate ne fuga vestra fiat in hyeme.* Cum urget bellum, ad arma orationis recurrendum est, de quo multa concionibus sequentibus.

## CONCIO XIII.

*Pro civitate, vel arce obessa ab inimicis.*

### THEMA.

**S**i consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium in hoc ego sperabo. Psal. 26. n. 3. & 4.

Ait Regius Vates, quod si adversariorum castra uniantur inter se, ipsum undique circum captum tenentes quod in tam gravissimo malo, ac in tantorum bellorum motu, quod minimè cor ejus timebit, sed firmus securam spem habebit in Domino.

Valde dura & gravis est obsessio, ac circumvallatio ab inimicis. Quod satis exprimit Jerem. Thren. 3. n. 5. *Edificavi in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.* Idem enim fuit, quod ipse in gyro undique ab inimicis tenebatur, ac quod circumdatus esset felle, & labore, omni nempe angustia & afflictione, ac molestia. Et subdit. n. 7. *Circum edificavi adversum me, ut non egrediar: aggregavi compedem meum.* Idem enim fuit, quod ipse obsessus teneretur, ne in campos, & agros suos egrederetur, ac quod pedes ejus essent aggravati vinculis, ac compedibus.

Si consistant adversum me castra. Exurgant adversariorum castra in nos, moveatur bellum adversus nostram civitatem & regnum. Non tam motum existimandū est ab ipsis inimicis, quàm à manu Dei, ac confisio eus ob nostra peccata; Deus enim sæpè ipsos inimicos, tanquam ministros, ac lictores ejus iræ in nos destinat.

Cum inter delitiosas dapes esset Chaldaus, vidit manum Dei judicis. Apparuit enim in Chaldaea aula. *Quare manus hominis scribens in superficie aulae reerit.* Daniel. 5. n. 5. Gravi

- metu turbatur Baltasar Rex. Litteræ scriptæ explicantur, quod regnum ejus esset completum, & divitum, datūque Persis, & Medis, l. bid. n. 25. Ad quid necesse fuit, ut reus tantorum malorum sciret damna sibi ventura: si Chaldaus non admoneretur de suo tristi factō, priusquàm hostis in aulam irrueretur, fortunam variam in bello dominari putaret; non verò à Deo commotam esse ultionem scelerum. Inde alia dispositione ante hostium adventum, apparet Dei manus sententiam scribentis, ut in Rex cognoscat, non hominum consilio, sed Dei manu bellum moveri, ab ipsoque à suo Babylónico regno deturbari, cum antecedenter Dei manus apparuisset sententiam scribens. Pelusiora lib. 3. Epistol. libi. *Sic illis Dei manus visa est, ut illud ostenderetur omnium Regem Calculum adversus Tyrannum efferre, sententiamque subscribere.*
5. Multis agit Deus, ne Balaamus diras in Hebræum effundat execrationes. Num. 22. n. 12. *Noli, inquit, ire, neque maledicas populo.* Cum verò Magus auro captus Deum urgeret, ut sinneret Moabitibus satisfacere, permittit Deus, sub hac tamen conditione n. 20. *Surge, vade ita dumtaxat, ut quod tibi præceperō facias, &c.* Pergit Balaamus, permutat loca, aras construit. Deum consulit, ut maledictis Hebræum feriat: non impetrat, nec intentum assequitur, ut patet ex cap. 23. liber maximè rogare; cur Deus adeo cautus fuerit in Mago continendo? Maledicta Magus conjiciat, & malis id avibus perficiat. Quid Hebræo noceret, si Deus nolit? An Deo potestas non est maledictionis evitandæ; si malè Balaamus dicat, quid ab uno ejus malè dō Deus inveniit? Illud fortasse metuit, quod si Magus officio suo fungeretur; pestes, mortes, calamitates, quæ à Deo in populum mittebantur; Hebræus à Mago venire putaret, & non à Deo in pœnam suarum culparum; quæ quidem existimatio gravior motum pestis esset. Sic Anast. Nyssen. q. 32. *Ne à Deo, ait, castigari existimarent, se per vatis execrationem incidisse in calamitates, non sibi vatem uti execratione, &c.* Sciant, sciant homines mala in ipsos illata, non ab alio, sed ab ipso Deo infligi ob sua peccata.
  6. In nostro Psalmo persisto ubi fit mentio de gravi bello. *Si consurgat adversum me prælium.* Et etiam de castris bene instructis. *Si consistant adversum me castra.* Et de hoste infesto, dentium motu dilaniante. *Deum appropriant super me nocentes.* Et tandem concluditur n. 14. *Expecta Dominum, & viriliter age, & sustine Dominum.* Ubi D. Aug. *Parum erat, ait, semel sustinere Dominum, nisi repeteret.* Maximè Vates nos exhortatur Dominum ferendum esse, tanquam belli ducem, ac si illud bellum, non tantum ab homine, sed à Deo commoveatur. D. August. in Psal. 129. *Non quidquid passi ab inimicis fuimus, non inimicis deputandum est, sed Domino Deo.*
  7. *Non timebit cor meum.* Mala nempe, quæ ab insurgente bello, ac circumstantibus castris inferuntur, ex quibus alimentum penuria frequenter pullulat, ut rugiant præ fame, & exarescant intestina, his non solent moveri viri magni, sed rudis & indomita plebscula.
  8. De victu tenui queruntur Israëlita, cibol-